Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

In catenam super Marci et Iohannis evangeliis editam - Cod. Aug. pap. 6

Thomas <von Aquin, Heiliger>

[Reichenau], [15. Jahrh.]

Cap. X

urn:nbn:de:bsz:31-84699

Visual Library

Vel hoc dicitur. Contra quosdam quos dum
maior scientia erigit a ceteris societate disiungit
et quo plus sapiunt eo a concordie virtute
resipiscunt. Greg. in pastorali. Sciunt etiam
loqui sapienter inter magnopere metuant
ne eius eloquio audientium unitas confundatur
ne dum sapiens videri desiderat unitatis
compagem insipienter abscidat. Theophil. Vel
qui constringit se cum alio dilectione ad proximum
hic salem habet et ex hoc pacem cum fratre
suo. Aug. de consensu evan. Hic marcus
dominum locutum fuisse contextim commemorat et
aliqua posuit que nullus alius evangelista
posuit alia vero que matheus quoque posuit
et aliqua que matheus et lucas sed illi ex
aliis occasionibus et alio rerum ordine que
aliis locis dixit quia satis pertinebant ad
hanc ipsam eius sententiam qua vetuit pro-
hiberi virtutes in nomine suo fieri etiam ab illo
qui cum discipulis non sequebatur eum. Sequitur

Capitulum x.

Et inde exsurgens
etc. Beda. Huc usque
marcus ea narravit
de domino que in galilea
fecit et docuit. Hic
incipit enarrare que
in iudea fecit docuit sive passus est. Et
primo quidem trans iordanem ad orientem
ethace quod dicitur Et inde exurgens
venit in fines iudee ultra iordanem.
Deinde etiam citra iordanem quando venit Je-
richo bethaniam et Jerosolimam. Et cum
omnis iudeorum provincia generaliter ad distinctionem
aliarum gentium iudea sit dicta specialius
tamen meridiana eius plaga appellabatur iu-
dea ad distinctionem samarie galilee decapolis
et ceterarum in eadem provincia regionum. Theo-
phil. Visitat autem regionem iudee quam
sepe propter iudeorum emulationem reliquerat
quia passio erat futura. Non tamen as-
cendit tunc in Jerusalem sed in iudee confinia ut
turbe non maliciose proficerent. Jerosolima
enim erat operatrix omnis nequicie ob ma-
liciam iudeorum Unde sequitur Et conveniunt
iterum turbe ad eum et sicut consueverat
iterum docebat illos. Beda. Notanda est
mentium distancia in turbis et phariseis

hee conveniunt ut doceantur et sui sanentur in-
firmi sicut matheus commemorat. Illi acce-
dunt ut salvatorem temptando decipiant.
Unde sequitur Et accedentes pharisei interroga-
bant eum si licet viro uxorem dimittere temp-
tantes eum. Theophil. Accedunt quidem non
deserentes eum ne turbe in eum credant sed
continue accedentes credebant eum in dubitationem
deducere et eum per interrogationes confundere.
Posuerunt autem ei questionem ex utraque parte
precipicium habentem. ut si dicat quod licet viro
uxorem dimittere vel non licet. accusarent
ipsum contradicentem eidem ex dogmatibus
moysi. Christus ergo ipsa sapientia respondit eis
responsionem illorum laqueos fugientem. Cri-
sos. Interrogatus enim si licet. Non statim
respondit. Non licet. ne tumultuentur
sed primo eos legis sententiam voluit respondere
ut quod eum dicere oportebat hoc illi respon-
derent. Unde sequitur At ille respondens
ait Quid vobis precepit moyses. Sequitur
Qui dixerunt moyses permisit libellum re-
pudii scribere et dimittere. Proponunt quidem
moysen hoc dixisse. aut propter interrogationem
salvatoris aut volentes in eum virorum
multitudinem incitare. Etenim hoc iu-
deis erat indifferens et omnes hoc opera-
bantur tamquam a lege permissum. Aug. de
consensu evan. Nichil autem ad rei verita-
tem interest utrum domino precipienti
prohibenti et sententiam suam de lege firmanti
ipsi turbe ut matheus narrat intulerint
questionem de libello repudii propter eundem moy-
sen sibi permissum. An hoc quidem illi de pre-
cepto moysi eos interroganti responderint
ut marcus hic dicit. Nam et volun-
tas eius ita se habebat ut non eis redde-
ret illud moyses permisit nisi prius ipsi
hoc commemorassent. Cum ergo voluntas
loquentium cui debent verba servire ab e-
vangelista utroque monstrata sit nichil
interest iam licet diversus inter ambos
sit modus narrandi. Potest etiam hoc in-
telligi quod sicut dicit marcus prius eos
de uxore dimittenda interrogantes dominus
vicissim interrogaverit quid eis preceperit
moyses cum illi dixissent moysen per-
misisse libellum repudii scribere dimittere

Respondit eis de ipsa lege per moysen data quod deus in principio coniunxit masculum et femine dicens ea que ponit matheus. Quibus auditis illi id quod ei primo interroganti responderant repetunt dicentes. Quid ergo mandavit moyses. Augustinus contra faustum. Volebat autem dimitti uxorem a viro qui hanc imposuit moram ut in discidium animus preceps libelli conscriptione refractus absisteret presertim quia ut perhibent apud hebreos scribere litteras hebreas nulli phas erat nisi scribis solis. Ad hos igitur quos oportebat esse prudentes legis interpretes et iustos dissidii dissuasores lex mittere voluit eum quem iussit libellum dare repudii si dimisisset uxorem. Non enim poterat ei scribi libellus nisi ab ipsis quos per hanc occasionem et necessitatem venientem quodammodo in manus suas bono regerent consilio atque inter ipsum et uxorem pacifice agendo dilectionem concordiam suaderent. Quod si tantum odium incidisset quod extingui et emendari non posset tunc utique scriberetur libellus quia frustra non dimitteret quam sic odisset ut ad debitam coniugio caritatem nulla prudentium suasione revocaretur. Propter hoc subditur. Quibus respondens ait. Ad duriciam cordis vestri scripsit vobis preceptum istud. Magna enim duricia erat que nec per libelli interpositionem ubi dissuadendi locus iustis et prudentibus tribuebatur solvi et flecti posset ad recipiendam vel revocandam coniugii caritatem. Crisostomus. Vel dicit. Ad duriciam cordis vestri. Quia si anima fuit purgata a desideriis et ira possibile est mulierem etiam nequissimam tollerare. Multiplicatis autem in anima passionibus predictis multa mala contingent circa odiosam coniugem. Si igitur ab incusatione eos moysen eripit qui dederat legem et totum in eorum caput convertit. Sed quia grave erat quod dictum est statim ad antiquam legem sermonem ducens dicens. Ab initio autem creature masculum et feminam fecit eos deus. Beda. Non ait masculum et feminas quod ex prioris repudio querebatur sed masculum et feminam ut unius coniugii consortio necterentur. Crisostomus. Si autem voluisset hanc quidem dimitti et aliam introduci creasset plures mulieres. Nec solum homini deus mulierem coniunxit sed et relinquere parentes precepit et mulieri adherere. Unde sequitur. Et dixit. Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam et adherebit uxori sue ex ipso modo locutionis inseparabilitatem matrimonii demonstrans quia dicit adherebit. Beda. Et similiter quia dicit adherebit ad uxorem suam non ad uxores. Sequitur. Et erunt duo in carne una. Crisostomus. Idest ex una radice facti in unum corpus convenient. Sequitur. Itaque iam non sunt duo sed una caro. Beda. Premium igitur nuptiarum est ex duobus unam carnem fieri. Castitas iuncta spiritui unus efficitur spiritus. Crisostomus. Post hoc terribile faciens argumentum non dixit ne dividatis sed conclusit. Quod ergo deus coniunxit homo non separet. Augustinus contra faustum. Ecce iudei ex libris moysi convincuntur non esse uxorem dimittendam qui secundum voluntatem moysi legis arbitrabantur se facere cum dimitterent. Simul et illud hic ipso christo attestante cognoscimus deum fecisse et coniunxisse masculum et feminam quod manichei negando dampnantur. Non autem moysi libris sed christi evangelio resistentes. Beda. Quod ergo deus coniunxit unam faciendo carnem viri et femine hoc homo non potest separare sed solus deus. Homo separat quando propter desiderium secunde uxoris primam dimittimus. Deus separat qui et coniunxit quando ex consensu propter servitutem dei sic habemus quasi non habentes uxores. Crisostomus. Si autem duo quos deus coniunxit separari non debent multo magis ecclesiam quam deus christo coniunxit non convenit separare. Theophilus. Quia vero scandalizabant discipuli tamquam expeditis non plene eis fuit

satisfactum. Propter hoc autem iterum interrogant de eodem. Unde sequitur: Et iterum in domo discipuli eius de eodem interrogaverunt eum. Ieronimus. Secunda interrogatio ab apostolis iterum dicta est, quia de eadem re de qua pharisei eum interrogaverunt, id est de coniugii statu, et hic per se iterata est. Verbi sententia non fastidit, sed esuriem et sitim prestat. Unde qui me comedunt adhuc esurient et qui me bibent adhuc sitient. Mellisflua enim sapientie eloquia gustata sapientibus multimodum saporem reddunt. Unde dominus iterato discipulos instruit. Nam sequitur: Et ait illis: Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam. Crisostomus. Adulterium vocat cum non sua simul esse. Non enim est sua quam accepit prima derelicta, et propter hoc committit adulterium super eam, id est super secundam quam introducit. Idem autem est et de muliere. Unde subdit: Et si uxor dimiserit virum suum et alii nupserit, mechatur. Non enim alii ut proprio viro potest coniungi, si propriam dereliquerit. Et quidem lex prohibuit adulterium manifestum, sed salvator hic non manifestum neque ab omnibus notum, nature tamen contrarium. Beda. In Matheo ubi scriptum est plenius: Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, etc. Una ergo est tantum carnalis causa fornicatio; una spiritualis, timor dei, ut uxor dimittatur, sicut multi religionis causa fecisse leguntur. Nulla autem causa est dei lege prescripta ut vivente ea que relicta est alia ducatur. Crisostomus. Mattheus dicit phariseis hec illum dixisse, Marcus vero discipulis. Non est contrarium. Contingit enim hoc et hiis et illis dicta fuisse. Et offerebant illi parvulos. Theophilus. Ostensa superius nequicia phariseorum Christum temptancium, nunc ostendit multam fidem turbarum, que tantum manuum impositione putabant Christum benedicere parvulos quos illi offerebant. Unde dicitur: Et offerebant illi parvulos ut tangeret eos. Crisostomus. Sed discipuli prohibebant afferentes propter Christi dignitatem. Et hoc est quod subdit:

Discipuli autem comminabantur offerentibus. Salvator autem erudiens discipulos sapere moderata et tumorem conculcare mundanum accepit pueros et eis confirmat regnum dei. Unde sequitur: Et ait illis: Sinite parvulos venire ad me et ne prohibueritis eos. Origenes. Si quis ergo eorum qui doctrinam ecclesiasticam profitentur videat aliquem offerentem quosdam stultos mundi et ignobiles et infirmos, qui propter hoc appellati sunt pueri et infantes, non prohibeat quasi sine iudicio facientem eum qui offert tales salvatori. Post hoc exhortatur discipulos suos iam viros constitutos condescendere utilitatibus puerorum ut fiant pueris quasi pueri ut pueros lucrentur. Nam et ipse cum in forma dei esset humilians se factus est puer. Unde subdit: Talium est enim regnum dei. Crisostomus. Etenim ab omnibus passionibus pura consistit anima pueri. Propter hoc oportet ut hec nos voluntate operemur que pueri habent per naturam. Theophilus. Unde non dixit horum est regnum dei sed talium, scilicet habencium et studio et labore innocentiam et simplicitatem quam habent pueri per naturam. Puer enim neque odit neque malitiose aliquid operatur, neque verberatus a matre discedit, sed et si eum vilibus induat vestimentis prefert ea regalibus indumentis. Sic et ille qui vivit secundum ecclesie matris sue nichil huic prehonorat, neque etiam reginam multarum voluptatem. Unde et dominus subdit: Amen dico vobis quisquis non receperit regnum dei velud parvulus non intrabit in illud. Beda. Id est nisi talem habueritis innocentiam et animi puritatem sicut parvulus habet, regnum celorum non poteritis intrare. Aliter regnum dei, id est doctrinam evangelii, sicut parvulus accipere iubemur, quia sicut parvulus in discendo non contradicit doctoribus neque raciones et verba componit eis resistens, sed fideliter suscipit que docent, et cum metu obtemperat et discit, Ita et nos obediendo simpliciter et sine ulla contradictione verbum domini suscipere debemus. Sequitur: Et complexans eos et imponens super illos

manus benedicebat eos. Crisostomus. Non autem
amplexatur eos ad benedictionem tamquam in sinum
suum elevans gratificans factori suo ab eo tra
dentem ab initio et divisum. Imponit autem par
vulis manus docens divine virtutis operationem.
Et quidem secundum consuetudinem aliorum manus im
ponit sed non secundum consuetudinem operatur. Deus
enim existens humanum modum servabat tamquam
verus homo factus. Jeronimus. Complexus eos
benedixit parvulos ut humiles spiritu sua benedictione
gratia et dilectione dignos esse significet. Et
Et cum egressus esset. Beda. Audierat
quidam a domino tantum eos qui parvulorum vo
lunt esse similes dignos esse introitu regni
celestis atque ideo poscit sibi exponi non per
parabolas sed aperte quibus meritis vitam eter
nam consequi possit. Unde dicitur Et cum egres
sus esset in viam procurrens quidam ante eum ge
nu flexo et rogabat eum dicens Magister bone
quid faciam ut vitam eternam possideam. The
ophilus. Miror de hoc iuvene qui omnibus
aliis propter infirmitates ad Christum accedentibus
hic vite eterne possessionem postulat cum ma
ligna sit passio avaritie propter quam post
modum contristatus est. Crisostomus. Quia vero acces
serat ad Christum tamquam ad hominem et ad unum
iudaicorum doctorum. Christus tamquam homo re
spondit eidem. Unde sequitur Jesus autem
dixit ei. Quid me dicis bonum. Nemo bo
nus nisi unus deus. Hoc autem dicens non
excludit homines a bonitate sed a comparatione
bonitatis divine. Beda. Unus autem deus
bonus non pater solus intelligendus est
sed et filius qui dicit Ego sum pastor bo
nus. Sed et spiritus sanctus quia dicit pater
de celo dabit spiritum bonum petentibus se. Ipsa
enim una et individua trinitas pater et fi
lius et spiritus sanctus solus et unus deus bonus est. Non
igitur se dominus bonum negat sed esse deum sig
nificat. Non se magistrum bonum non esse sed
magistrum absque deo nullum bonum esse testatur.
Theophilus. Voluit igitur dominus per hoc illi
mentem iuvenis facere altiorem ut Christum
cognosceret tamquam deum. Sed et aliud quid innuit
in hiis verbis ut quando debes conferre cum a
liquo non adulando cum eo conferas sed respi

ciens radicem bonitatis et fontem deum et
ei prestes honorem. Beda. Notandum autem
quod iustitia legis suo tempore custodita non solum
bona terre verum etiam suis cultoribus vitam con
ferebat eternam. Unde dominus de vita eterna querenti
consequenter dixit Precepta nosti ne adulteres
ne occidas ne fureris ne falsum testimonium
dixeris ne fraudem feceris honora patrem et
matrem. Hec enim est parvulis innocentia quam nobis
imitanda proponitur si regnum dei volumus in
trare. Unde sequitur At ille respondens ait
illi Magister hec omnia servavi a iuventute mea.
Non est putandus homo iste vel voto
temptantis ut quidam putaverunt dominum inter
rogasse vel de sua vita esse mentitus sed
simpliciter ut vixerat esse confessum quod patet
ex hoc quod subditur. Jesus autem intuitus
eum dilexit eum. Si autem mendacii et simula
tionis noxa reus teneretur nequaquam intuita
archana cordis eius diligere eum
diceretur Jesus. Origenes. In hoc enim quod di
lexit eum vel osculatus est eum videtur
affirmasse professionem eius qui dixit se omnia
ista implesse. Intendens enim mente in eum vi
dit hominem ex bona conscientia confitentem.
Crisostomus. Dignum tamen est inquirere qualiter
hunc dilexit qui non eum erat secuturus.
Est autem hoc dicere quoniam quantum ad priora dignus
erat amore quia legis se observans a iuven
tute. Circa finem vero neque diminutionem pri
oris dilectionis consecutus est sicut neque per
fectionem suscepit. Et si enim non excessit
mensuram humanam propter perfectionem sequens
nullo tamen crimine constabat reus iuxta
possibilitatem hominis legem observans
et in hac observatione Christus eum dilexit. Beda
Diligit enim dominus eos qui mandata le
gis quamvis minora custodiunt. Sed nichilominus
quam in lege minus fuerant hiis qui perfecte esse
desiderant ostendit quod non venit solvere
legem sed adimplere. Unde sequitur Et
dixit ei Unum tibi deest. Vade quecumque
habes vende et da pauperibus et habebis the
saurum in celo et veni sequere me. Quicumque

enim perfectus esse voluit debet vendere que
habet non ex parte sicut ananias fecit et sa-
phira sed totum Theophilus Et cum vendidit
dare pauperibus non histrionibus et luxuri-
osis Crisostomus Bene autem non fecit vite eterne
mencionem sed thesauri dicens Et habebis
thesaurum in celo Theophilus Quia enim de
pecuniis erat sermo et de abrenunciacione
ostendit quod reddit plura hiis que precepit
relinquere quanto maius est celum quam terra
Beda Quia multi sunt pauperes non humiles sed
ebrii aut aliquid aliud habentes malicie propter
hoc dicit Et veni sequere me Beda Se-
quitur dominum qui imitator eius est et per vestigia
eius graditur. Sequitur Qui contristatus
~~malo~~ in verbo abiit merens Crisostomus Et
causam tristicie subdit evangelista dicens
Erat enim possessiones habens multas Non
enim eodem modo afficiuntur qui pauca habent et
qui multa. Divitiis enim acquisitarum copia di-
vitiarum maiorem flammam cupiditatis accendit
Sequitur Et circumspiciens Ihesus ait dis-
cipulis suis Quam difficile qui pecunias
habent in regnum dei introibunt Theophilus
Non hoc dicit quod divicie male sint sed
habentes ut custodiant. Docet enim non
ipsas habere id est retinere et custodire sed eis in
necessariis uti et in servicio hominis esse
Crisostomus Dixit autem hoc dominus discipulis
pauperibus existentibus et nichil posside-
ntibus instruens eos inopiam non erubescere
et quasi excusando eis respondens pro quo
nichil eos habere concesserat. Sequitur Di-
scipuli autem obstupebant in verbis eius
Manifestum est autem quod inopes existentes
pro aliorum salute dolebant. Beda Sed
quia inter pecunias habere et amare multa
distancia est. Unde et Salomon non
ait Qui habet sed qui amat divitias fructum
non capiet ex eis. Ideo dominus obstupescentibus
discipulis verba premisse sentencie exponit Un-
de sequitur Et Ihesus rursus respondens ait
illis Filioli quam difficile est confidentes in
pecuniis in regnum dei introire. Ubi
notandum est quod non ait quam impossibile sed quam
difficile est. Quod enim impossibile est omnino fieri

non potest. Quod enim difficile cum labore potest Crisostomus
Vel dicens difficile ostendit esse impossibile et
non simpliciter sed cum quadam intensione et hoc
ostendit exemplo dicens Facilius est camelum
per foramen acus transire quam divitem intrare
in regnum dei Theophilus Camelum siquidem o-
portet intelligere aut ipsum animal aut funem
illum grossum quo naves magne vinciuntur Beda
Unde ergo vel in evangelio Matheum et Io-
seph vel multi testimonio quod plurimi divites
intraverunt in regnum dei nisi forte quod divici-
as vel pro nichilo habere vel oblatas relinquere
domino inspirante didicerunt. Altiore autem sensu
facilius est Christum pati pro dilectoribus suis quam
dilectores seculi ad Christum posse converti. Cameli
enim nomine se intelligi voluit quod infirmita-
tis nostre onera sustulit. Per acum signat puncti-
ones id est dolores in passione susceptos. Fo-
ramen ergo acus dicit angustias passionis
qua scissa nostre quasi vestimenta nature quod
amo resarcire dignatus est. Sequitur Qui
magis admirabantur dicentes ad semetipsos Et
quis potest salvus fieri. Cum incomparabiliter
maior sit turba pauperum que divitibus perditis
posset salvari. Intellexerunt enim cunctos qui
divitias amant etiamsi adipisci nequeunt
in divitum numero deputari. Sequitur Et intuens
illos Ihesus ait Apud homines hoc impossibile
est sed non apud deum. Quod non ita ac-
cipiendum est quasi cupidi et superbi in reg-
num celorum sint intraturi cum cupiditate et
superbia sed possibile est deo ut a cupiditate
et superbia ad caritatem et humilitatem convertantur
Crisostomus Ideo autem hoc opus dei esse dixit
ut ostenderet quod multa opus est illi gratia qui
ad hoc adeo dirigitur. Unde monetur quod non
parva est merces divitibus volentibus paupertatis
viam sequi Theophilus Vel intelligendum est quod
dicit Apud homines sed non apud deum quod
cum deum audimus hoc fit possibile cum vero
humana sapimus est impossibile. Sequitur
Omnia enim possibilia sunt apud deum. Cum
omnia dicit entia subintelligas. Peccatum enim
non est ens. Est enim res absque entia et im-
poris peccatum. Vel aliter. Peccatum non
virtutis sed infirmitatis est. Et ideo peccatum

sicut etiam infinitas impossibile est apud
deum. Sed numquid deus facere potest ut id quod
factum est non sit factum. Ad quod dicimus quod
deus est summa veritas. Facere autem quod factum est
et non sit factum falsum est. Qualiter ergo veri-
tas faceret falsum. Numquid igitur destruet propriam
naturam ut quidam dicunt. Numquid potest deus
non esse deus. hoc enim ridiculum est. Et
cepit petrus ei dicere. Glosa. Quia iuvenis
audito consilio salvatoris de rerum dimissione
tristis abscesserat discipuli autem christi premisso
consilium iam impleverant sollicitati ceperunt de
premio estimantes se magnum aliquid fecis-
se cum iuvenis qui precepta legis impleverat
hoc sine tristitia nec audire potuit. Unde
petrus ~~aut~~ pro se et aliis dominum interrogat et
hoc est quod dicitur. Et petrus cepit ei dicere
Ecce nos dimisimus omnia et secuti sumus
te. Theophilus. Petrus etsi pauca dimiserat
tamen hec omnia vocat. Nam et pauca
hinc removent passionis ita ut beatificetur
ille qui pauca relinquit. Beda. Et quia non
sufficit tantum dimittere iungit quod perfectum
est. Et secuti sumus te. quasi dicat fecimus quod iussisti
Quid ergo nobis dabis premium. Theophilus. Petrus
autem de discipulis tantum interrogante dominus u-
niversalem responsionem ~~dicit~~ facit. Unde
sequitur Respondens Ihesus ait Amen dico
vobis Nemo est qui reliquerit domum aut
fratres aut sorores aut patrem aut matrem aut
filios aut agros propter me et propter evangelium
qui non accipiet centies tantum nunc in tempo-
re hoc domos et fratres et sorores et matres et
filios et agros cum persecutionibus et in seculo futuro
vitam eternam. Hec autem dicens non innuit
ut patres relinquamus non adiuvantes eos neque
ut ab uxoribus separemur sed nos instruit preferre
honorem dei secularibus rebus. Crisostomus. Mi-
hi autem videtur quod in hoc intendebat persecutiones
futuras occultare pronuntiare. quia futurum erat
ut multi patres ad impietatem filios inducerent
et uxores viros. Non autem differt dicere
propter nomen meum aut propter evangelium ut
marcus dicit aut propter regnum dei sicut dicit
lucas. Nomen enim christi virtus est evange-
lii et regni. Evangelium enim recipitur in nomine
ihesu christi et regnum dei per nomen ipsius cog-

noscitur et venit. Beda. Quidam autem occa-
sione huius sententie qua dicitur accipiet centies
tantum nunc in tempore hoc iudaicam mille
annorum fabulam post resurrectionem iustorum dog-
matizant quando omnia que propter deum dimisimus
multiplici nobis sunt fenore reddenda insuper
et vita eterna donanda. Nec vident quod
etsi in ceteris digna sit promissio in uxoribus
tamen centenis iuxta alios evangelistas ap-
paret turpitudo. presertim cum dominus in re-
surrectione nubendum non esse testetur et ea que pro
se dimissa fuerint recipienda in hoc tempo-
re cum persecutionibus asserit quas mille annis
suis abesse affirmavit. Crisostomus. Et siquidem
igitur centies tantum mercedes secundum caritatem
et non secundum possessionem. Hoc enim adimple-
vit eis dominus non corporaliter sed alio quodam
modo. Theophilus. Uxor vero in domo circa
viri cibum negotiatur et vestimenta. Vide
igitur hoc et in apostolis. Multe enim mulieres
erant sollicite de corporibus et vestimentis
et ministrabant eis. Similiter et patres et
matres plurimas apostoli habuerunt scilicet eos qui ipsos
diligebant. Sed et petrus unam relinquens
domum postmodum omnium discipulorum domos
habebat et mavis est quod cum persecutionibus
hec omnia possidebunt. Sed licet persecutionem
sint passi et angustiati propter quod sequitur
Multi autem erunt primi novissimi et novissimi primi. Pha-
risei enim primum existentes facti sunt novissimi. Qui
vero omnia reliquerunt et christum secuti sunt
fuerunt novissimi in seculo isto propter angusti-
as et persecutiones. sed erunt primi per spem
que est in deum. Beda. Patet sane hoc quod
ait accipiet centies tantum spiritaliter intelligi.
Centenarius enim numerus de leva translatus
in dexteram licet eundem in flexu digitorum vide-
atur habere figuram quam habuerat denarius
in leva tamen quantitatis magnitudine plurimum crescit
quia videlicet omnes qui propter regnum dei
temporalia spreverunt et in hac vita persecu-
tionibus plenissima eiusdem regni gaudium fide
certa degustant atque in expectatione super-
ne patrie celestis que significatur in dextera omnium
electorum dilectione fruuntur. Verum quia multi v-

tutem studia non cadunt qua incipiunt intentio
pietatis consummant morum sub magistri fervore. Multi
enim erunt etc. Cottidie enim videmus multos
in layco habitu constitutos magnis vite
meritis excellere et aliosque a prima etate spirituali
studio ferventes ad extremum ocio torpente
lascescere atque inherti stultitia quod spiritu
ceperunt consummare. Erant autem in via. Beda.
Meminerant discipuli sermonis quo dominus
se passurum multa a summis sacerdotibus et
scribis predixerat et ideo iherusalem tendentes
stupebant et hoc est quod dicitur. Erant autem in
via ascendentes iherusalem et precedebat illos ihesus.
Theophilus. Ut ostenderet quod ad passionem
currit et quod non refugit mortem pro nostra
salute. Et stupebant et sequentes eum ti-
mebant. Beda. Ne vel ipsi cum eo occide-
rentur vel saltem ille cuius vita et magis-
terio gaudebant inimicorum manibus occum-
beret. Prudens autem dominus ex passione
sua discipulorum animos perturbandos eis et
passionis penam et resurrectionis sue gloriam
predixit. Unde sequitur. Et assumens iterum
duodecim cepit eis dicere que essent ei ven-
tura. Theophilus. Ut scilicet discipulorum cor-
da confirmaret. ut cum hec previdissent le-
vius postmodum sustinerent et in repenti-
nis non formidarent et etiam ut ostenderet
quod voluntarie pateretur. Qui enim prenoscit et potest
fugere. et non fugit manifestum est quod vo-
luntarie seipsum passionibus tradit. Seor-
sum autem assumit discipulos et namque
conveniens erat passionis misterium suis
amicioribus sibi revelare. Crisostomus. Comme-
morat autem singula que passurus erat ne
si aliquid preter missum remaneret inveniretur
postmodum illud subito turbarentur. Unde
subdit. Quia ecce ascendimus iherusalem et
filius hominis. Glosa. Adque scilicet pertinet
pati. Nam divinitas pati non potest tradetur
scilicet a iudeis principibus sacerdotum et
scribis et senioribus et condempnabunt eum
morte iudicantes eum esse reum mortis.
Et tradent eum gentibus scilicet pylato genti-
li. Et illudent ei milites eius. et conspu-
ent eum et flagellabunt eum et interficient. Crisostomus.

Ut autem cum finxit contristaret propter passionem
et mortem tunc et resurrectionem exspectent
subdit. Et tercia die resurget. Cum enim
tristicias et obprobria que contingerent non
occultavit conveniens erat ut ei et de vel-
quibus crederent. Et accedunt ad eum etc. Crisostomus.
Audientes discipuli christum frequenter de suo re-
gno loquente putabant quod hoc regnum post
eius mortem non esset et ideo nunc proximata
christi morte accesserunt ad eum ut honoribus
regni statim fierent digni. Unde dicitur.
Et accedunt ad eum Jacobus et Johannes
filii zebedei dicentes. Magister volumus ut
quodcumque pecierimus facias nobis. Erubes-
centes enim quod aliquid humanum passi erant
accesserunt ad christum seorsum eum a discipulis
assumentes. Salvator vero non ignorans
quid petere debebant sed ad respondendum
eos inducens interrogacione subiungit. Unde
sequitur. At ille dixit eis. Quid vultis ut
faciam vobis. Theophilus. Credebant autem
predicti discipuli quod ipse hac iherusalem as-
cenderet ut regnaret et postmodum paterentur
que se passurum esse predixerat et hoc
cogitantes dexteram et sinistram appetebant
Unde sequitur. Et dixerunt. Da nobis ut
unus ad dexteram tuam et alius ad sinistram
sedeamus in gloria tua. Augustinus de consensu
evangelistarum. Hoc autem ab eis non per eos ipsos
sed per matrem dictum esse matheus expressit
cum illa eorum voluntate attulisset ad dominum
Unde magis ipsos quam illam dixisse quod
dictum est marcus breviter intimavit. Crisostomus.
Vel convenienter dicere potest utrumque factum esse
videntes enim se preaeliis honoratos primi
sum peticionem se consequi estimabant et
ut facilius peticionem obtinerent matrem as-
sumpserunt ut cum hac simul christum precari-
rent. Augustinus. Denique et dominus eciam secundum
marcum et secundum matheum ipsis pocius quam
matri respondit. Nam sequitur. Jhesus autem
dixit eis. Nescitis quid petatis. Theophilus.
quasi dicit. Non est hoc quod creditis quod tempora-
liter sim mecum regnaturus. Sed omnia hec
quod scilicet meum pertinent supra intellectum vestrum
dextera sedere adeptus meis tam magis

quid est ut excellat ordines angelorum
Beda. vel nescitis quid petatis qui sedes
glorie a domino quam non dum merebantur inqui-
runt. Cris. vel dicit Nescitis quid pe-
tatis. Ac si dicat vos de honore loquimini
ego vero de agonibus et sudoribus disputo
Non enim est hic premiorum tempus. sed certa-
minis preliorum et periculorum Unde subdit
Potestis bibere calicem quem ego bibo aut
baptismo quo ego baptizor baptizari. Per
modum interrogationis attrahit eos ut ex communicatione
que cum ipso sunt audaciores fiant. Theophilus. Ca-
licem autem et baptismum crucem vocat. Calicem
quidem tamquam potum dulciter ab ipso suscep-
tum. Baptismum vero tamquam emundationem
mundi facientem peccatorum. Qui non intel-
ligentes quod dixerat responderunt pos-
sumus. Credebant enim quod de calice sensibi-
li et de baptismate quo iudei baptizari so-
lebant lavantes scilicet se antequam comederent
loquetur. Crisostomus. Responderunt autem tam
prompte expectantes eos quod petierant ex-
audiri. Sequitur Ihesus autem ait eis Calicem
quidem quem ego bibo bibetis et baptismo
quo ego baptizor baptizabimini. i. martirio
digni eritis et patiemini sicut et ego Be-
da. Queritur autem quomodo calicem marti-
rii Jacobus et Iohannes biberunt aut
quo baptismo domini sunt baptizati cum scriptura
narret Jacobum tantum apostolum ab herode ca-
pite truncatum Iohannem autem propria morte finit
vitam Sed si legamus ecclesiasticas historias
in quibus fertur quod et ipse apostolus martirium
in ferventis olei dolium missus sit statim
quod relegatus in pathmos insula Sic
videbimus martirium animo non defuisse
et bibisse Iohannem calicem confessionis quem
et tres pueri in camino ignis biberunt
licet persecutor non fuderit sanguinem Se-
quitur. Sedere autem ad dexteram meam vel ad si-
nistram non est meum dare vobis sed quibus
paratum est. Crisostomus. Ubi duo querimus Unum
est Si paratum est alicui sedere a dextris eius
aliud autem si omnium dominus his quibus paratum est

potestatem tribuendi non habet. Ad primum ergo
dicimus quod nullus a dextris neque a sinistris
sedet. Invius enim est omni creature thronus
ille. Quomodo ergo dixit sedere a dextris
meam vel sinistram non est meum dare vobis
quasi quibusdam sessuris. Ad suspicionem quidem
interrogantium respondit eorum intentioni con-
descendens. Neque enim noverant illum thronum
excelsum et cathedram que est a dextris patris
sed unum solum querebant scilicet potiri prin-
cipatu et aliis preesse. Quia enim audierant
dictum de apostolis quod super .xii. thronos con-
sessuri quid esset quod dictum est ignorantes
inter ceteros petierunt principatum. Ad secundum di-
cendum est quod tale donum potestatem filii non tran-
scendit. Sed quod in Mattheo dicitur paratum
est a patre meo idem est ac si diceret et a me
Unde et marcus non dixit hic a patre
meo. Quod ergo hic Christus dicit tale est
moriemini inquam propter me Non tamen hoc
sufficit ad hoc quod vos primum ordinem obtineatis
Si enim aliquis alius cum martirio venerit omnem
aliam virtutem possidens multa vobis maio-
ra possidebit. His enim paratur principatus qui per
opera preclara fiunt primi. Sic ergo dominus sua re-
sponsione eos instruxit ut non vane et
inaniter pro principatibus molestentur. Simul autem
et eos noluit contristare. Beda. vel
non est meum vobis dare. i. superbis. hoc enim
adhuc erant. aliis paratum est et vos alii
estote. i. humiles et vobis paratum est. Et
audientes decem ~~indignati sunt~~ Theophilus
Quia reliqui apostoli vident Jacobum et Io-
hannem honorem petere patienter ferre non
possunt. Unde dicitur Et audientes decem ce-
perunt indignari de Jacobo et Iohanne. Pa-
tientes enim humana invidia movebantur.
Sed tunc primo indignati sunt cum viderunt
ipsos a domino non susceptos Non autem prius
indignabant quia videbant ipsos aliis
prehonorari Tunc igitur sic imperfecte se ha-
bant apostoli sed postea in principatibus sibi cede-
bant ad invicem. Christus autem eos sanat.
Primo quidem ad eorum consolationem eos inducit

se adducendo et hoc sequitur cum dicitur
Jhesus autem vocans eos deinde demandando
quod vestri pari honorem et desiderare primatum
gentilium est. Unde sequitur dixit illis Scitis
quia hij qui videntur principari gentibus
dominantur eis et principes eorum potestatem habent
ipsorum. Gentilium principes tyrannice et domina-
bilis ad principatum se ingerunt. Sequitur Non
ita est autem in vobis Beda. In quo docet
eum maiorem esse qui minor fuit et illum
dominum fieri qui omnium servus sit. Frustra igitur
aut illi immoderata quesierant aut isti do-
lent super maiorum desiderio cum ad summitatem
virtutum non potencia sed humilitate venitur.
Deinde proponit exemplum ut si dicta parvi
pendunt erubescant ad opera et dicit.
Sicut et filius hominis non venit ut minis-
traretur sed ut ministraret et daret animam
suam redempcionem pro multis Theophilus
Quod maius est quam ministrare. Cum
enim aliquis pro eo cui ministrat moritur quid
isto potest esse maius et mirabilius. Sed tamen
ista ministracio et humilitatis descensus
gloria eius erat et omnium. Ante enim quam
homo fieret solum ab angelis notus erat.
Cum autem factus est homo et crucifixus est
non tantum ipse gloriam habet sed et alios
in participacionem sue glorie suscepit et dominatus
est per fidem orbi terre Beda. Non autem
dixit animam suam dare redempcionem pro
omnibus. sed pro multis i. pro hijs qui cre-
dere voluerunt ¶ Et veniunt Jericho Jeronimus
Passione domini appropinquante civitatis nomen
respondet. Dicit enim Et veniunt Jericho
Jericho luna sive anathema interpretatur. De
fectus autem carnis Christi paratur celestis Jerusalem
sic. Sequitur Et proficiscente eo de Jericho
et discipulis eius et plurima multitudine
filius Thymei Bartimeus cecus sedebat iuxta
viam mendicans Beda. Matheus
duos iuxta viam sedentes et ad dominum cla-
mantes cecos dicit et illuminatos Lucas autem
cum appropinquaret Jericho pari ordine illumina-
tum abeo tenui esse perhibet ubi nemo sa-
num sapiens autumet evangelistas sibi
met contraria scribere. sed alium plenius
scribere que alter omisit Intelligendus est
ergo unum eorum fuisse notissimum quod exinde
apparet quod et nomen eius et nomen patris
eius Marcus commemoravit Augustinus Hinc
est ergo quod ipsum solum voluit commemorare Mar-
cus cuius illuminacio tam claram famam huic mira-
culo comparavit quod erat nota calamitas.
Lucas vero quamvis omnino eodem modo factum tamen
in alio ceco intelligendus est parcommemo-
rare miraculum et eiusdem miraculi parem
modum Sequitur Qui cum audisset quod Jhesus
nazarenus est cepit clamare et dicere
fili David Jhesu miserere mei Crisostomus filium
David vocat cecus dominum preeuntis domini
turbe laudem audiens ac prophetarum expec-
tacione completa certificatus. Sequitur Et
comminabantur ei multi ut taceret Origenes
Tamquam si dicat Qui primum crediderunt
increpabant ei clamanti fili David ut ta-
ceret et non appellaret eum contemptibili nomine
sed diceret fili dei miserere mei Ille autem non
destitit. Sequitur At ille multo magis cla-
mabat fili David miserere mei. Cuius clamo-
rem dominus exaudivit Unde sequitur Et
stans Jhesus precepit illum vocari. Vide
autem quod inferior est cecus de quo Lucas
loquitur Nam nec Jhesus eum vocavit ut
Matheus dicit. Nec iussit eum vocari ut
hic dicitur sed iussit eum ad se adduci quasi
non potentem ad se venire. Unde sequitur
Et vocant cecum dicentes ei Animequior es-
to surge vocat te. Ille autem abiciens ve-
stimentum venit ad eum. Sequitur Qui pro-
iecto vestimento suo exiliens venit ad
eum, Forte vestimentum ceci et mendi-
cantis velamen cum intelligitur cecitatis et
mendicitatis quo fiat circumdatus quod ab-
iciens venit ad Jhesum quem appropinquantem dominus
interrogat. Unde sequitur Et respondens
Jhesus dixit illi. Quid tibi vis faciam
Beda Numquid qui lumen reddere poterat
quid vellet cecus ignorabat Ad hoc ergo
requirit ut petat Ad hoc requirit ut
cor ad oracionem excitet Crisostomus Vel querit
ne scilicet aliquis estimaret quod aliud volen-
ti accipere aliud daret Etenim consuetudo
erat eius voluntatem curandorum omnibus
facere manifestam et tunc medelam inducere
ut et alios duceret in zelum et ut

ostendit eum qui curandus erat quem donum dignum putaret. Sequitur. Cecus autem dixit ei: Rabboni ut videam. **Beda** Parvipendit enim extra lucem cecus aliquid querere, quia etsi habet cecus ~~quodlibet~~ quodlibet, potest sine luce non potest videre quod habet. **Ieronimus** Considerans autem ihesus promptam voluntatem, complectione desiderium remuneravit. **Origenes** Dignius autem esset Rabboni vel sicut in aliis dicitur Domine quam fili David. Unde propter illud quod dixit fili David non prestitit ei sanitatem, sed propter hoc quod dicit ei Rabboni. Unde sequitur. Ihesus autem dixit ei: Vade, fides tua te salvum fecit, et confestim vidit et sequebatur eum in via. **Theophilus** Grata enim erat anima ceci eo quod sanus effectus christum non reliquit sed secutus est eum. **Beda** Iericho autem que interpretatur luna defectum nostre mutabilitatis designat. Appropinquans dominus Iericho lumen ceco reddidit, quia veniens in carnem et passioni appropinquans multos ad fidem adduxit. Non enim primis incarnationis temporibus sed paucis antequam pateretur annis misterium verbi mundo exhibuit. **Ieronimus** Cecitas etiam ex parte facta in iudeis illustratur in fine quando eis mittet heliam prophetam. **Beda** Quod autem appropinquans Iericho unum illuminavit, ac proficiscens de Iericho duos, hoc intimavit quod ante passionem suam unum tantum populum iudeorum predicavit. Post resurrectionem vero atque ascensionem suam per apostolos et iudeis et gentibus divinitatis et humanitatis sue archana patefecit. Et Marcus vero unum illuminatum scribit, ad gentium salutem respicit, ut eorum quos instituebat ad fidem salvationis figura congrueret. Matheus vero qui Hebreis suum scribebat evangelium, quod in gentium quoque notitiam erat perventurum, recte duos dicit illuminatos, ut ad utrumque populum gratiam fidei pertinere doceret. Proficiscente igitur domino et discipulis eius et plurima multitudine de Iericho, cecus sedebat iuxta viam mendicans, quia ascendente ad celos domino et multis fidelium sequentibus, immo cunctis ab initio mundi electis una cum illo ianuam regni celestis ingredientibus, mox gentium populus cepit spe illuminationis spem habere. Qui mendicat iuxta

viam sedens, quia nec dum iter veritatis ingrediens ad hoc pervenire contendit. **Ieronimus** Populus etiam iudeorum qui scripturas conservat, non implet, iuxta mensam mendicans esurit. Clamat autem: fili David miserere mei, quia per merita prophetarum iudaicus populus illuminatur. Comminantur autem ei multi ut taceat, quia peccata et demonia compescunt clamorem pauperis. Sed ille magis clamabat, quia ingravescente bello manus ad lapidem adiutorii, hoc est ihesum nazarenum, cum clamore levande sunt. **Beda** Populus etiam gentium agnita fama nominis christi particeps eius fieri querebat. Cui contradicebant multi, primo iudei, deinde etiam gentiles, ne illuminandus mundus christum invocaret. Nec tamen impugnantium furor eos qui ad vitam erant preordinati habebat salute privare. Clamantem autem cecum transiens audivit, quia per humanitatem misertus est qui per divinitatis potentiam mentis nostre tenebras expulit. Ut enim propter nos natus et passus est quasi transiit ihesus, quia hec actio temporalis est. Ut immutabiliter cuncta disponeret. Clamantem autem cecum dominus vocat, cum populo gentium per predicatores verbum fidei mittit. Qui vocantes cecum animequiorem esse et surgere atque ad dominum venire precipiunt, cum predicando indoctis spem eos salutis habere ac de torpore vitiorum exurgere atque ad virtutum studia se accingere iubent. Proiecto autem vestimento exsilit, quia sublatis mundi retinaculis expedito mentis gressu ad largitorem eterne lucis properat. **Ieronimus** Venit etiam iudaicus populus exuens in dies veterem hominem, ut hinnulus saliens super montes, quia segnitiem deponens patriarchas prophetas apostolos in altis considerans ad superna se extendit. Commemorandus autem est ordo salutis: audivimus primo per prophetas, deinde clamamus per fidem, postea vocamur per apostolos, surgimus per penitentiam, exuimur per baptismum, interrogamur per voluntatem. Cecus autem interrogatus hoc requirit ut videat voluntatem domini. **Beda** Imitemur ergo et nos eum: non divitias, non terrena bona, non honores a domino, sed lucem queramus quam

uidere cum solis angelis possimus ad quam
via fides est. Unde et ceco respondetur
fides tua te saluum fecit. Videt autem et
sequitur qui bonum quod intelligit operatur. Ihesum
enim sequitur qui imitatur qui prosperari in hoc
mundo noluit, obprobria irrisiones tollerauit.
Et quia rerum corporalium delectationes a gaudio
interno cecidimus cum qua amaritudine illuc
redeatur ostendit. Theophilus dicit autem quod per-
secutus est dominum in via scilicet in hac uita
quia post hanc concluduntur omnes qui hic
eum non secuntur ab operando mandata eius.
Jeronimus. Vel via ista que dixit Ego sum
via veritas et vita. Hec est via angusta que
ducit ad ardua Ierusalem et bethanie ad montem
olivarum qui est mons lucis et consolacionis.

Sequitur Capitulum xi

Et cum appropinquaret
Crisostomus. Postquam
dominus fide veritatis suffi-
cientem experienciam
dederat et tempus in-
stabat passionis iam non sicut
tunc maiori claritate agit quam adversarios in-
flamatura erat. Et hoc quamuis multociens
prius ostendit ultima magis tamen eo tanta
excellencia sicut modo. Theophilus. Ut si ve-
lint valeant gloriam eius cognoscere et pro-
phetias de eo completas sentirent quod est
verus deus. Si uero noluerint maius fieret
eis preiudicium quia tot claris miraculis non
crediderunt. Huius igitur aduentus claritatem
ewangelista describens dicit. Et cum appropin-
quaret Ierusalem et bethanie ad montem oliveti
misit duos ex discipulis suis. Beda. Be-
thania villula est sive ciuitas in latere
montis oliveti ubi lazarus suscitatus est a mor-
tuis. Quos autem discipulos miserit et ad quid
ondit subdens. Et ait illis Ite in castellum
quod contra vos est. Theophilus. Considera
uero quanta dominus discipulis predixit scilicet quod
inveniunt pullum. Unde sequitur. Et
statim introeuntes illuc invenietis pullum
ligatum super quem nemo adhuc hominum se-
dit. Soluite et adducite illum. Et quod impedientur
ab accipiendo. Unde sequitur. Et si quis vo-
bis dixerit quid facitis quia dominus necessarius eum
est. Et quod hoc dicto permittent accipere. Un-
de sequitur. Et confestim dimittet huc. Et sicut
dominus predixerat ita impletur. Unde sequitur.
Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante
ianuam foris in biuio et soluunt eum. Augustinus
de consensu ewangelistarum. Matheus asinam dicit et
pullum. Ceteri autem de asina tacent. Ubi ergo
utrumque factum potest intelligi nulla repugnancia
est, nec si alius unum, alius aliud commemora-
ret. Quanto minus mouere oportet si alius unum, alius
utrumque commemoraret. Sequitur. Et quidam de
illic stantibus dicebant illis. Quid facitis
soluentes pullum. Qui dixerunt eis sicut
preceperat illis Ihesus et dimiserunt eis scilicet
pullum. Theophilus. Non autem hoc
permitterent nisi diuina virtus eos in ambe-
rgens illos presertim quia rusticos existentes
et colonos permiserunt pullum auferre. Sequitur.
Et adduxerunt pullum ad Ihesum et imposuerunt
illi vestimenta sua et sedit super eum. Crisostomus.
Non quidem quod ex necessitate a monte oly-
ueti usque ad Ierusalem super pullum ire dominum opor-
tebat, cum iudeam et omnem galileam pedes am-
bulauit, sed signum erat quod fiebat. Sequitur.
Multi autem vestimenta sua strauerunt in via.
Jeronimus. Sub pedibus pulli asine. Alii autem
frondes cedebant de arboribus et ster-
nebant in via. Magis hoc ad ornatum
et ad sacramentum pertinet quam ad necessitatem. Sequitur.
Et qui preibant et qui sequebantur clamabant
dicentes Osanna benedictus qui venit in nomine
domini. Multitudo enim donec corrupta non
fuit cognouit quod congruum erat, propter quod
honorauit Ihesum unusquisque secundum propriam
virtutem. Unde laudantes ipsum ymnum da-
uiticum assumpserunt dicentes Osanna quod
secundum quosdam idem est quod saluum me fac.
Secundum uero quosdam idem est quod ymnus.
Estimo autem primum verum esse. Nam in cen-
tesimo xvii psalmo habetur O domine saluum
me fac quod in hebreo scribitur osanna.
Beda. Est autem osanna verbum hebraicum
compositum ex duobus corrupto et integro.
Salua namque sive saluifica apud eos di-
citur. Anna vero interiectio est deprecantis
quomodo apud latinos interiectio est dolentis
heu. Jeronimus. Osanna igitur id est saluifica
dicitur ut homines saluentur. Ab eo benedic-